

R. 2<sup>o</sup>. *Quoad alias*. Illæ solum responsa sunt a Sacra Congreg. pro casibus particularibus data, quæ juxta allegata procedunt, vel supposita oratorum expositione, quod Concilii decretum sit usu receptum, locus subsil principii catholico urgenti observantiam Tridentini præcepti, ut de secunda declaratione ait P. Pichler; quæ quidem expresse loquitur de catholico, qui contraxit cum acatholica in loco, *ubi commode haberi et adiri poterat parochus*, quo casu plures etiam nostræ alias addicti sententiæ auctores requirunt præsentiam parochi. Nunquam vero generatim factæ fuerunt in hypothese consuetudinis in contrarium, dubiæ promulgationis decreti Tridentini, et similium ex dictis.

*Ad Conf. N.* hic exceptionem fieri a BENEDICTO XIV. sed quærentibus Episcopis de valore talis matrimonii, respondit simpliciter, valere illud; quod responsum proinde exceptio a regula dici non potest.

430. *Obj. III. 1<sup>o</sup>*. Silentium S. Pontificis ad illa Protestantium matrimonia est tantum mera tolerantia et dissimulatio, cum impediri non possint; ergo illa non approbat tacite. 2<sup>o</sup>. Si, ex allatis rationibus, hæretici de facto non ligentur legibus connubialibus Ecclesiæ; ergo nec legibus jejunii, festorum, et similibus; ergo et exempti erunt ab omni obedientia præstanda Ecclesiæ, quia huic constanter contraveniunt. 3<sup>o</sup>. Sic hæretici essent melioris conditionis, quam Catholici; haberentque ex delicto suo commodum, quod prudenter nequit velle Ecclesia. 4<sup>o</sup>. Hoc modo valida fieri possent matrimonia, quæ ineuntur a sacerdotibus et religiosis apostatis; quia votum solemne est impedimentum dirimens jure tantum ecclesiastico.

*Ad 1<sup>um</sup>. N. Assert.* Quando enim res concernit provincias integras, nec repugnat juri naturali aut divino, nec solet nec potest ab Ecclesia præcise tolerari, sed rata haberi debet, ne ex negato consensu alias gravissima sequantur mala sine ullius fructus spe; hæc vero certo post se trahet lex, quam, cum observantia ejus sperari non possit, nihilominus legislator urgere vellet.

*Ad 2<sup>um</sup>. R. Primam* sequelam facile concedunt Vericelli de Apost. Mission. Tit. 3. q. 87., Pichler ad Tit. de Sponsal. et Matrim., Wiestner ad eumd., Schmalzgr. alique tum Theologi tum Canonistæ. *Secundam N.* cum omnibus; sicut enim non sequitur: potest provincia aliqua catholica per continuatum non usum longo tempore, sive usum contrarium derogare quibusdam legibus Ecclesiæ; ergo poterit sic derogare omnibus legibus ecclesiasticis, et obedientiæ debitæ; ita nec tenet illatio prior. Nimirum ratio est; quia derogari posse legibus ecclesiasticis per consuetudinem contrariam, si conditiones requisitas habeat, fatentur omnes, et positive jus ipsum ecclesiasticum asserit c. fin. de consuet. cit. at derogari posse similiter ipsi obedientiæ debitæ, negant omnes: negat jus, tali præscriptioni positive resistens c. *Cum non liceat*. 12. de præscr. item 16. Nec permittit ratio, ullius consuetudinis, vel præscriptionis vi subditos ab obedientia eximi, ne sublatis penitus legibus omnis disciplina evanescat, et respublica subvertatur; unde consuetudo talis nunquam potest fieri rationabilis. Accedit specialiter, quod Ecclesia ab ipso Christo hanc potestatem in eos acceperit. Matth. 16. 18. adeoque hæc nec ab ipsa Ecclesia abdicari possit.

*Ad 3<sup>um</sup>. R. D.* Essent melioris conditionis absolute et per se *N.* non enim

absolute melioris conditionis dicitur, qui honestis et utilibus se legibus subtrahit. Essent per accidens; et sic per accidens ex delicto haberent commodum *C.* Hoc vero sæpius, etiam in Catholicis evenit, ut per accidens ex delicto commodum sentiant, dum malitiose legem non recipiunt, vel per consuetudinem contrariam, actibus etiam peccaminosis, dum consuetudo est *in fieri*, abrogant. Unde nec dici potest, Pontificem hoc casu plus favere Novatoribus, quam Catholicis, permittendo priorum matrimonia contra leges connubiales Ecclesiæ, et non irritando; hoc enim non ex favore in illos facit Pontifex, sed ad evitanda graviora mala. Sic provincia aliqua catholica per consuetudinem contrariam abrogante legem ecclesiasticam, S. Pontifex non ideo huic plus favere dicitur, quam aliis provinciis.

*Ad 4<sup>um</sup>. R.* Non est paritas; quia his matrimoniis semper se positive opponit Ecclesia: separat, si ad gremium Ecclesiæ redeant, eos ab uxorum commercio; hisque, si redire, vel transire ipsæ ad Ecclesiam catholicam velint, nova permittit conjugia. Deinde non potest præsumi, consentire Ecclesiam in matrimonium sacrilege contrahendum; præcisa enim omni lege ecclesiastica, adhuc est jure naturali et divino saltem illicitum cum voto tali inire matrimonium.

### ARTICULUS III.

#### QUOT ET QUÆ SINT IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA MATRIMONII?

431. Ex impedimentis matrimonii alia esse *impedientia*, h. e. quæ prohibent tantum matrimonium contrahendum, quin tamen contractum propterea invalidant; alia esse *dirimentia*, h. e. quæ matrimonium et prohibent, et invalidant, jam supra innuimus initio hujusce capituli. De utrisque nunc in specie breviter agendum; ac primo quidem hoc art. de prioribus.

432. *Dico.* De *jure novo* quatuor tantum sunt impedimenta impedientia, hoc expressa versiculo: *Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.* Quorum hæc est expositio.

*I. Sacratum tempus*, quod etiam *feriatum* dicitur: videlicet illud, quo celebrare *solemnes* nuptias prohibuit Ecclesia. Fluit hoc tempus juxta decretum Trid. Sess. 24. c. 10. de Ref. Matrim. ab Adventu usque in diem Epiphaniæ, et a die Cinerum usque ad octavam Paschatis, sive Dominicam in albis inclusive. Dixi: *solemnes*; non enim pro his temporibus Ecclesia absolute prohibet contrahere matrimonium, sed duntaxat cum solemnitatibus; quales sunt, solemnibus nuptiarum benedictio, publica ac strepitosa sponsæ deductio, etc. ut liquet tum ex textu Trid. tum ex declaratione Card. Concilii interpretum atque ex Rituali Romano. De consuetudine tamen, ac lege particulari variarum diocesium, nec simpliciter licet inire matrimonium citra Episcopi licentiam.

*II. Vetitum* Ecclesiæ, sive interdictum: est prohibitio facta a Superiore nupturientibus ad certum tempus ex causa justa, ut, donec inquiretur an impedimentum, quod objicitur, existat; vel aliis de causis.

*III. Sponsalia*, scilicet valida de futuro, contracta jam cum parte una,

et nondum legitime dissoluta; illa enim obstant, quominus licite contrahatur matrimonium cum alia; idque sub mortali ob gravitatem materiæ; justitiæ enim semper repugnat, rem promissam uni, et ab hoc acceptatam, eo invito alteri tradere.

IV. *Votum* videlicet *simplex*, castitatis, non nubendi, suscipiendi Ordinis sacri, ingrediendæ Religionis c. 4. 5. 6. *Qui clerici, vel voventes c. Unico* de voto in 6. Vota tamen, quæ in Societate Jesu simplicia dicuntur, ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, id speciale habent, ut matrimonium non impediunt tantum, sed etiam dirimant.

Dixi in concl. *de jure novo*. De jure enim antiquo, sive olim erant numero duodecim, his vulgaribus versiculis contenta:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,  
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,  
Incestus, raptus, sponsatæ mors mulieris,  
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,  
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem  
Accipiat; prohibent hæc conjugium sociandum.

Ex his, præsupposita quatuor priorum in concl. notitia, cætera hic paucis, quod in usu non amplius sint, delibamus. I. *Catechismus* dicebatur instructio illa, vel professio fidei facta super baptizando, et nomine baptizandi in exorcismis, aliisque interrogationibus ante baptismum adhiberi solitis; hæc inter baptizantem, et baptizatum, et respondentem, tametsi hic patrinus non esset, cognationem spirituales induxit. Unde breviter ab aliis Catechismus describitur, susceptio catechumeni non in baptisate ipso, sed ejus ceremoniis. II. *Incestus*, commissus vel a marito cum uxoris consanguinea, vel a sponso cum consanguinea sponsæ in primo gradu, ac vicissim; his enim, mortua comparte, prohibitum erat, quodcumque aliud contrahere matrimonium c. 20. caus. 32. q. 7. et c. 1. et 2. de eo, qui cognovit. III. *Raptus*, qui sponsam alienam rapuisset, ab omni prohibebatur conjugio c. 34. caus. 27. q. 2. quod alienum conjugium impedire non esset veritus. IV. *Sponsatæ mors mulieris*, h. e. uxoricidium ex ira, odio, etc. c. 8. caus. 33. q. 2. similiter *mors presbyteralis*, id est, presbyteri occisio c. 2. de Pœnit. et Remiss. impediabat a matrimonio in perpetuum. V. *Susceptus propriæ sobolis*, sive propriæ prolis ex baptismo levatio, sine necessitate, malitiose facta, videlicet animo privandi ea ratione partem alteram debito conjugali c. 5. caus. 30. q. 1. VI. *Si poeniteat*, h. e. si poenitiæ solemniter, sive publicæ esset subjectus, ea durante, a quovis impediatur matrimonio c. 6. caus. 33. q. 2. VII. *Si monialem accipiat*: Matrimonium cum moniali attentatum impediatur a matrimonio omni in perpetuum. c. 3. caus. 27. q. 1.

Ex quibus impedimentum *catechismi* novissime abrogavit Synodus Tridentina Sess. 24. c. 2. de Reform. Matrim. Reliqua vero consuetudine contraria sublata sunt.

## ARTICULUS IV.

## QUÆ SINT IMPEDIMENTA DIRIMENTIA MATRIMONII?

433. *Dico*. Hæc pariter de *jure antiquo* fuerunt duodecim, quibus Tridentina Synodus duo addidit, *clandestinitatis* ac *raptus*, ut *jure novo* et moderno sint numero quatuordecim, imo quindecim si ætatem impuberum quis sumere voluerit pro impedimento speciali. Singula his versibus exprimuntur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Si sis affinis, si forte coire nequibus,  
Si parochi et duplicis desit præsentia testis,  
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.  
Hæc socianda vetant, connubia facta retractant.

434. I. *Error*, scilicet *personæ*, cum quis judicat personam, quacum matrimonium contrahit, esse aliam, quam sit a parte rei, v. g. esse Rachellem, cum sit Lia, dirimit matrimonium *jure naturæ*; quia tollit consensum jure naturali requisitum ad essentiam matrimonii; consensus vero jure hoc requisitus in personam determinatam tendit, quam quis concepit animo c. 26. h. t. caus. 29. q. 1. §. *Error vero*. Sed hunc consensum tollit error circa personam; contrahens enim non vult consentire in personam quamcumque præsentem, sed in eam, quam determinate sibi repræsentat in animo; cum hæc sit objectum primum et substantiale volentis contrahere matrimonium. *Error vero circa qualitatem personæ*, fortunam, nobilitatem, pulchritudinem, etc. vim dirimendi non habet; quia non obstante tali errore habetur consensus absolutus in personam præsentem. Excipitur tamen 1º. nisi contrahens etiam qualitatem adduceret in conditionem, h. e. illi alligaret suum consensum; actus enim sub conditione de præsentem celebratus, conditione non subsistente, non subsistit L. 37. ff. de Reb. cred. 2º. Nisi qualitas redundet in personam, quia tunc error circa personam censetur. Error vero qualitatis tunc in personam redundat, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personæ; ut si velles contrahere cum primogenita, et tibi sisteretur secundo genita; si autem eam, quacum contrahis, tantum putas esse primogenitam et tua intentio non feratur in illam, quatenus est primogenita, nondum erit error in persona.

435. II. *Conditio*. Est status servilis stricte sumptus, quo scilicet homo ita est sub dominio alterius, ut hujus mancipium sit. Ut hoc impedimentum dirimat, requiruntur duo: 1º. ut tantum una pars conditionis servilis sit; 2º. ut pars libera id ignoret. c. 2. et c. fin. h. t. Unde impedimentum erit conditio, si homo liber, sive ingenuus contrahat matrimonium cum persona servili ignoranter. Ortum suum habet hoc impedimentum *ex solo jure ecclesiastico*, ut habet communis cum Sanch. contra paucos. Et ratio est; quia ex una parte servitus ex se non repugnat absolute substantiæ matri-

monii; ex altera vero parte in ignorante conditionem servilem alterius datur adhuc consensus simpliciter liber et voluntarius in personam talem; error enim servitutis est error tantum qualitatis, proinde accidentalis, non substantialis, seu circa ipsum personæ individuum; jus naturale vero ex se non plus quam consensum simpliciter liberum ac voluntarium poscit.

436. III. *Votum*, nimirum *solemne*, seu solemnis professio in Religione approbata c. 3. et fin. *Qui Clerici, vel voventes*. Item Concil. Chalced. Act. 15., Tolet. IV. c. 51., ac novissime Trid. Sess. 24. can. 9. *Votum* hoc vim suam dirimendi præcise traxit ex jure ecclesiastico c. *Unico* de voto in 6. De quo vid. plura cap. 3. art. 4. Eadem tamen vim competere etiam votis simplicibus in Societate, art. præc. innuimus ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente*.

437. IV. *Cognatio*. Hæc triplex est: naturalis, sive carnalis, quæ consanguinitas dicitur; spiritualis, ac legalis. Naturalis, sive consanguinitas est vinulum personarum ex eodem stipite descendendum per propagationem sanguinis contractum. Hæc *in linea transversa* jure ecclesiastico dirimit matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum inclusive. c. 8. *Non debet*. 8. h. t. quod est Concil. Lateran. sub Innocentiô III. ac restringit jus antiquum, quo impedimentum hoc extendebatur ad usque gradum septimum. Nec refert, utrum consanguinitas ortum habeat ex generatione licita, vel illicita, cum jus inter utramque non distinguat. An vero etiam *jure nature* dirimat in gradu primo hujus lineæ, controversatur. Affirmat Bellarm. L. 1. de Matr. c. 28. cum plurimis aliis: negat S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 8. ad 3. cum æque multis, quos refert, et sequitur P. Schmalzgr. h. t. *In linea recta* dirimit *jure nature* matrimonium saltem in primo gradu, h. e. inter patrem et filiam, matrem et filium, ut est communis omnium omnino sententia cum S. Aug. epist. 66. ad Patern. ac S. Thom. in 4. d. 40. q. unica a. 3. in 0. Sed *pro certis habemus ea, in quæ communi opinione consensus est* juxta Quintil. Et ratio est, quod ab ejusmodi matrimoniis natura ipsa et ratio, ac instinctus naturalis abhorreat, ut dicitur L. 14. §. 2. ff. de rit. Nupt. est autem incredibile, datam esse a Deo et natura potestatem hominibus transferendi jus et dominium corporis in alios in ordine ad usum, qui rectæ rationi, verecundiæ, et communi sensui omnium gentium contrarius, ac perpetuo turpis est. Dixi: saltem *in gradu primo*: nam de ulterioribus gradibus non est æque certum. Alii cum S. Thoma absolute tenent, irritationem istam *jure naturali* ultra gradum primum non extendi. Contrarium tamen docent alii communius arg. L. 53. et fin. ff. de rit. Nupt. et §. Inst. de Nupt. Accedit ratio, quod ascendentes respectu descendendum habeant veram rationem principii, et veniant nomine genitorum, ac parentum, descendentes vero nomine liberorum; arg. L. 53. cit. quæ ratio principii et principiati exigit in principiatio reverentiam majorem, quam par sit ad matrimonium.

438. *Spiritualis cognatio* est quarumdam personarum propinquitas, jure ecclesiastico, can. *Si quis filiastrum*. 2., can. *De eo*. 5. caus. 30. q. 1. et toto h. t. introducta ob collationem baptismi, vel confirmationis, susceptio-

nemve suscipientis unum ex his sacramentis dirimens matrimonium inter certas personas. *Jure novo* Trid. Sess. 24. c. 2. de Reform. inter susceptores seu paternos, et baptizatum, vel confirmatum, hujusque patrem et matrem; tum inter ministrum illorum sacramentorum et baptizatum vel confirmatum ac ejus patrem et matrem. Ergo patrinus et matrina.

439. *Legalis cognatio* est personarum propinquitas ex adoptione proveniens. Dicitur legalis; eo quod, sicut adoptio creatura præcise juris civilis est, ita et hæc ex illa descendens cognatio legibus iisdem originem debeat; licet, nisi ab Ecclesia can. 1. et 6. caus. 30. q. 3. et c. unico h. t. recepta et approbata fuisset, ex civilium præcise legum dispositione vim dirimendi in Ecclesia non obtineret. *Jure canonum* quidem non reperitur alia prohibitio expressa, quam inter adoptatum et adoptantem et hujus legitimum, vel naturalem filium, ac filiam adoptivam et vicissim; *jure civili* tamen §. 1. 2. 6. Instit. de Nupt. L. 14. 17. 55. ff. de ritu Nupt. ea prohibitio se longius extendit, cujus juris dispositio hac in parte hodie ex communi omnium obtinet, et observatur, eo quod ex una parte can. 1. cit. item etiam juxta rubrum et nigrum in hoc titulo cognatio legalis sit generaliter per canones approbata; ex parte vero altera jus canonicum quoad prohibitionem hanc non sit omnino clarum, nec contrarietur tamen civilibus legibus; hinc quod ea in materia deest juri canonico, merito ex civili suppletur; arg. c. 1. de N. O. N. Unde, huic juri insistendo, legalis cognatio in tres species dividitur, quæ designant personas, inter quas contrahitur. *Prima*, quasi in linea recta, dicitur *paternitas*, atque adoptantem et adoptatum, tum ex adoptato filio (*non filia*) descendentes afficit. *Secunda*, quasi in linea laterali, vel transversa, *fraternitas* appellatur, respicitque adoptatum et adoptantis liberos naturales et legitimos ac descendentes, patriæ adoptantis potestati subjectos. Durat tamdiu fraternitas, quamdiu durat adoptio; hac vero dissoluta, etiam illa solvitur. *Tertia* est quasi *affinitas*, inter adoptantem et adoptati uxorem; tum adoptatum et uxorem adoptantis. Hæc, uti paternitas, est perpetua, nec cessat solutione adoptionis; probabiliter tamen solum usque ad quartum gradum inclusive dirimit. Habentur hæc ex §. 1. 2. 6. Instit. cit. L. 14. 17. ff. de rit. Nupt. et arg. c. 8. de Cons.

440. V. *Crimen*, scilicet duplex dirimit jure ecclesiastico matrimonium; adulterium et conjugicidium. Ut vero *adulterium* dirimat, requiritur 1º. ut accedat promissio futuri matrimonii post obitum conjugis; nec refert, an præcesserit, vel subsequuta sit promissio; modo fuerit acceptata. 2º. Ut sit adulterium formale; si enim ignoret complex alterum esse conjugatum, adulterium est materiale tantum, quod non dirimit. 3º. Ut sit perfecta copula consummatum; ex regula enim generali leges pœnales de actu consummato solum intelligendæ sunt, nisi aliud expriment. 4º. Multo magis dirimit adulterium, si est conjunctum cum conjugicidio. Constant hæc ex c. 1. 6., etc. *De eo, qui polluit*. Ut *conjugicidium* dirimat, etiam sine adulterio, debet hoc perpetratum esse actu, vel effectu secuto, cum intentione ex utraque parte, aut promissione matrimonii sive de futuro, sive de præsentem; adeoque conjugicidium solum nunquam sufficit, item fieri debet

conspirante, vel consentiente occisi consorte. Vide c. 1. de convers. infid. can. 5. caus. 31. q. 1.

441. VI. *Cultus disparitas*. Est religionis diversitas inter contrahentes matrimonium, si videlicet fidelis cum infideli vellet contrahere. *Infidelis* hic stricte, ut passim in jure alias, pro non baptizato sumitur; velut judæo, gentili, ethnico, turca, pagano; non vero late etiam pro hæretico. Hæc religionis diversitas licet jure naturali et divino semper illicitum fecerit matrimonium *per se* loquendo; non tamen invalidum ex eo jure fuit, sed vim dirimendi obtinuit ex solo jure ecclesiastico, tradito potius, quam scripto.

442. VII. *Vis*. Dividitur in absolutam et conditionalem. *Absoluta*, quæ est coactio omnimoda et corporalis de præsentis illata reluctanti, velut si violente cogaris ad porrectionem manus, quæ pro signo consensus accipitur, etiam *jure naturali* matrimonium irritat, cum consensum omnem excludat. *Conditionalis*, per quam hic metus intelligitur, si hic gravis sit, atque injuste incussus eo fine, ut extorqueatur matrimonium, dirimit istud, sed *solo jure positivo*, juxta dicta cap. 2. de consensu metu extorto: item supra de Sponsal. metu extortis.

443. VIII. *Ordo*. Ligat impedimentum hoc eos solummodo, qui Ordine aliquo sacro, ut Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus initiati sunt, quos jus ecclesiasticum, Trid. Sess. 24. c. 9. et c. 1. 2. *Qui Clerici, vel voventes*, inhabiles reddit ad contrahendum matrimonium.

444. IX. *Ligamen*. Est vinculum prioris matrimonii legitime contracti, vivente utraque comparte. Dirimit jure divino 1. Cor. 7. quodcumque matrimonium subsequens, nisi vinculum hoc fuerit solutum vel morte alterutrius conjugis; vel solemnî religionis professione, si matrimonium nondum fuerit consummatum.

445. X. *Honestas*. Communiter publica honestas dicitur: item justitia publicæ honestatis. Est propinquitas, seu quædam affinitatis species, orta ex sponsalibus validis et absolutis, et ex matrimonio rato, non consummato. Ortum ex matrimonio rato dirimit ad quartum gradum inclusive cum consanguineis sponsæ, vel sponsi; ad primum vero duntaxat, quando ex sponsalibus validis nascitur jure novo Tridentini Sess. 24. cap. 3. de Reform. Dixi: *validis*; Trid. enim cit. correxit jus antiquum, vi cujus impedimentum hoc contrahebatur etiam ex invalidis. Nec cessat impedimentum publicæ honestatis dissolutis, mutuo licet consensu, sponsalibus; sic enim, apud Fagnan. die 6. Jul. 1658. declaravit S. Congregatio; idque die 10. mensis ejusdem approbavit Alexander VII. jussitque doctrinam hanc deinceps non amplius vocari in dubium.

446. XI. *Affinitas*. Est personarum propinquitas orta ex copula carnali perfecta, sive licita, sive illicita, per quam duo fiunt una caro; sicque consanguinei viri evadunt affines consanguineis mulieris, ac vicissim con-

sanguineis viri. Affinitas, si antecedit matrimonium, postea contrahendum dirimit, si supervenit, privat jure petendi debitum, c. 1. 8. de Cons. et Affin. Est tamen quædam differentia inter affinitatem ortam ex copula carnali licita, et ortam ex illicita: prior dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive c. 8. cit. quo corrigitur jus antiquum, vim dirimendi olim extendens usque ad gradum septimum: altera solum usque ad gradum secundum inclusive, jure novo Trid. Sess. 24. cap. 4. Unde vir, defuncta uxore, nequit contrahere cum consanguineis defunctæ usque ad quartum gradum inclusive; nec fornicator cum consanguineis fornicariæ primi, aut secundi gradus. Porro affinitas hæc non afficit consanguineos, vel consanguineas, h. e. non dirimit, nec impedit matrimonium inter consanguineos viri, et consanguineas mulieris; copula enim carnalis tantum illum, vel illam, quæ copulam habuit, cum consanguineis alterius partis connectit. Unde duæ sorores possunt ducere duos fratres: item pater et filius matrem et filiam alterius cognationis: filius mariti ex alia uxore filiam uxoris ex alio viro, c. 5. de Cons. et Affin. can. 5. caus. 35. q. 2. Demum *affinitas agit retro*; hinc si sponsus fornicetur cum matre, vel sorore sponsæ, non potest implere sponsalia, quia per hanc fornicationem sponsa facta est affinis sponso; sed nec matrem, nec sororem potest habere in uxorem, ob publicam honestatem ortam ex sponsalibus.

447. XII. *Clandestinitas*. Si non contrahitur coram proprio paroco, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus; matrimonium sic clandestine contractum irritum fecit Trid. Sess. 24. cap. 1. de Reform.

448. XIII. *Impotentia*. Est negatio potentiae, vel incapacitas ad exercendum conjugalem actum. Alia est *naturalis*, ex defectu naturali proveniens; et sic impotentes dicuntur in jure *frigidi*; alia est *accidentalis*, a causa extrinseca, maleficio, orta; atque ita impotentes *maleficiati* dicuntur. Porro ex his alia iterum est *perpetua* vel *temporalis*; matrimonium *antedecens*, vel huic *superveniens*. Ex his tantum impotentia antedecens et perpetua, et quidem jure naturæ, matrimonium dirimit; tum quia lex naturæ invalidat contractum, in quo quis se ad impossibile obligat; tum quia, si est tantum *superveniens*, invenit matrimonium verum et validum, proinde indissolubile; si est *temporalis*, tantum primo non irritatur a jure naturæ; quia, spectato hoc jure, ad valide contrahendum non requiritur, ut conjuges quovis tempore coire possint; sed solum ut possint absolute, nec a jure positivo, cum ab hoc etiam approbetur, c. 6. de Frigid. et Malef. Impotentia hæc non est idem ac sterilitas, cum ex dictis ii solum *impotentes* dicantur, qui exercere actum conjugalem, h. e. consummare matrimonium non possunt, nec per copulam fieri una caro; *steriles* vero qui ex copula præhabita prolem non suscipiunt, ut senes ad consummandum matrimonium habiles, sed inhabiles ad generandum.

449. XIV. *Ætas*. Reducitur ad impotentiam. Ætas seu impotentia, quæ est in pueris ante perfectum rationis usum, jure naturæ matrimonium dirimit; cum tales præstare non possint consensum, jure naturæ ad con-

tractum matrimonii requisitum; ætas vero vel impotentia, quæ est in pueris ab usu rationis usque ad pubertatem dirimit, sed solo jure ecclesiastico, matrimonium; arg. c. 6. de Frig. et Malef. Pubertas autem duplex est; *legalis*, quam leges præsumendo statuerunt; estque in masculis annus ætatis decimus quartus c. 3. 10. 11. de despons. impub., in feminis duodecimus c. 6. et fin. eod.; tum *naturalis*, dum malitia supplere ætatem dicitur, h. e. si ante pubertatis legalis tempus, jam adsit aptitudo ad consummandum matrimonium. Sufficit ad valorem matrimonii pubertas naturalis, ut ex c. 3. 6. 9. et fin. eod. colligitur; et maxime si ætas legalis proxima fuerit, c. 6. et 11. ibid.

450. XV. *Raptus*. Est violenta abductio femine, aut etiam maris, de loco in locum matrimonii ineundi causa. Dirimit matrimonium, quamdiu durat vis et circumstantiæ raptus juxta Trid. Sess. 24. c. 6. de Reform. Dixi 1<sup>o</sup>. *violenta abductio*; raptus enim non erit in ordine ad dirimendum matrimonium, si femina lubens ac volens abducatur, arg. c. penult. de Raptorib. tum enim adhuc stat integra libertas matrimonii; ob quam unice Trident. induxit hoc impedimentum. Dixi 2<sup>o</sup>. *aut etiam maris*, si femina violente abducat virum, ut apud Fagnan. in c. *Ne innitaris* de Constit. volunt auctores communius contra Sanch. et alios. Et ratio est, quia Trid. statuendo impedimentum raptus, consulere voluit libertati matrimonii; sed hæc libertas æque tollitur, si femina violente abducat virum, quam si vir feminam. Deinde saltem in correlativis, et ubi est eadem ratio, sub sexu masculino etiam in jure, nisi specialis fiat exceptio, communiter venit femineus L. 1. 122. 195. ff. de V. S. Sed utr et femina in ordine ad matrimonium sunt correlativa; estque eadem ratio, nempe libertatis, nec specialiter hic excipitur femina; ergo. Dixi 3<sup>o</sup>. *Matrimonii ineundi causa*; non enim hic raptus nomine venit, si qua abducatur violente solius exercendæ libidinis causa, vel spoliandi, etc. cum sic nondum lædatur libertas matrimonii, quam principaliter intendit Tridentinum. Igitur ut incuratur hoc impedimentum, non sufficit quæcumque violenta abductio; sed requiritur, ut fiat animo contrahendi matrimonium cum rapta, et ut hæc, quando contrahere matrimonium attentat, adhuc sit *in potestate raptoris*; licet rapta consentiret in matrimonium; si enim non consentiret, jam aliunde adhuc atque independenter a constitutione Tridentini nullum foret matrimonium.

O. A. M. D. G.

FINIS TOMI QUINTI ET ULTIMI

## CONSPECTUS TOMI QUINTI

PARS POSTERIOR.

### TRACTATUS DE SACRAMENTIS POENITENTIÆ ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

#### DISPUTATIO I.

DE VIRTUTE POENITENTIÆ.

##### CAPUT I. — DE NATURA VIRTUTIS POENITENTIÆ.

	Pag.
ARTIC. I. — <i>An et qualis virtus sit poenitentia?</i> . . . . .	3
Poenitentia est vera virtus distincta a virtutum omnium collectione, eaque non theologica, sed moralis. . . . .	4
ARTIC. II. — <i>De motivo formali virtutis poenitentiae.</i> . . . .	7
Motivum specificum et proprium poenitentiae virtutis peculiaris, est jus divinum quatenus ex speciali debito justitiæ servandum; prout autem exercet poenitentia peculiare munus detestandi peccata, proprium ejus munus est resarcire divinam justitiam . . . . .	8
ARTIC. III. — <i>Quodnam sit objectum materiale virtutis poenitentiae?</i> . . . .	10
Objectum materiale poenitentiae virtutis proprie magis spectatæ est peccatum, mortale præsertim, a poenitente ipso ante commissum, prout detestandum ac destruendum. . . . .	10
ARTIC. IV. — <i>Utrum omne peccatum sit objectum virtutis poenitentiae?</i> . . .	13
Certum est, omnia peccata, etiam post baptismum commissa, utut multa sint aut atrocia, per veram poenitentiam expiari. . . . .	14

##### CAPUT II. — DE ACTIBUS ELICITIS POENITENTIÆ.

ARTIC. I. — <i>Quomodo detestatio sit actus poenitentiae aversativus?</i> . . . . .	22
Detestatio peccati ex motivo alicujus virtutis et ipsiusmet etiam caritatis potest esse actus formaliter tantum aversativus, quin amorem formalem includat . . . . .	23
ARTIC. II. — <i>Quomodo detestatio sit absoluta, efficax et universalis?</i> . . . .	24
I. — Detestatio, quæ respicit actum peccati præteritum, est voluntas efficax et absoluta ex parte subjecti, sub conditione afficiente objectum: ex parte autem peccati habitualis absoluta est et efficax utrinque. . . .	25
II. — Tametsi detestatio peccati esset particularis formaliter et in objecto materiali, si tamen ratio detestandi sit peccatis mortalibus omnibus com-	v. p. 2.